DIE 3 et 5 NOVEMBRIS

BEATI MARTINI DE PORRES

CONFESSORIS ORDINIS PRAEDICARORUM

Introitus

Ps 91:13-14; Ps 91:2

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. ℣. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. Gloria Patri. Justus ut palma.

Oratio

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cæléstia regna transíre fecísti: ejus méritis et intercessióne concéde, nos ejus humilitátem ita imitári in terris; ut cum ipso exaltári mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemorationem Octavae Omnium Sanctorum:

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quǽsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

1 Cor 4:9-14

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo et Angelis et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cǽdimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndant vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale

Ps 36:30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde

ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Ps 111:1

Allelúja, allelúja. ℣. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc 12:32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cœlis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Et dicitur Credo, *ratione Octava.*

Offertorium

Ps 20:2-3

In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Hanc hóstiam, Dómine, quam tibi in honórem beáti Martíni Confessóris sacrándam offérimus, benígnus súscipe: et præsta; ut ejus pia intercessióne, nobis efféctum tuæ salvatiónis impéndat. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum:

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre Justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio

Matt 19:28 et 29.

Amen, dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Cæléstibus aliméntis enutríti, súpplices te rogámus, Dómine Deus noster : ut Martíno Confessóre pro nobis intercedénte, tuis semper valeámus obedíre mandátis. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum:

Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine, fidélibus pópulis ómnium Sanctórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.